Clemens Papa octauus ad perpetuam rei memoriam.

Inter cetera cordis nostri desiderabilia id intensis exoptamus affectibus, ut contro
versiarum, ac litium materia inter personas ecclesiasticas e medio tollatur. Sane
nobis nuper innotuit, quod in Regnis Aragonum, Valencie, et Catalonie, ac tota
demum Provincia Aragonie Ordinis fratrum Predicatorum, et presertim in
Civitate Oriel, et Oppido Civitate nuncupato Alicante, ac loco de Castelo de la
Plana predicti Regni Valencie, nonnulle lites, cause, questiones, et controversie
inter predictos fratres, ex una, et alios mendicantes, sive regulares, quoscunque,
super precedentia, ac ritu incedendi in actibus, et procesionibus, tam publicis, quam
privatis, occasione, seu intuitu quarundam literarum, felicis recordationis Gregorij
Pape XIII predecesoris nostri, in forma brevis, sub die XV Julij. M. D. LX
XXIII. que incipiunt: Ex poscit confectarum, partibus ex altera mote sunt, et
moveri, seu oriri facile possunt. Nos considerantes, lites, causas, et controversias huius
modi, presertim inter religiosas personas, que relictis mundi vanitatibus votum
suum in hac militantis spiritu Domino Deo nostro persolvere profitentur, non
modicam inferre labem, Populoque scandalum generare, ac in hac urbe nostra
omnium capite, et unde in omnia regimen servari consuevit, eum ritum, et ordi
nem servari, quod in actibus, et procesionibus tam publicis, quam privatis, post ca
nonicos, et clericos seculares, et antiquos ordines monachales, fratres or
dinis Predicatorum huiusmodi, primum digniorem, et honorabiliorem locum
obtinent, et ceteros alios fratres Mendicantes, sive alios quoscunque regu
lares precedunt, atque de antiquitate, et preeminencia, cuiuslibet ordinis
fratrum Mendicantium, et aliorum Regularium, quoruncunque, plenam,
et indubitatam notitiam habentes, ac eorum honoris, et iurium conservatio
nem, ac pacem, et quietem inter eos confovere, et scandala huiusmodi removere
paterno affectu cupientes, ac statum litium, et merita causarum huiusmodi,
nominaque, et cognomina Iudicum, et collitigantium, et eorum iura, et preten
siones, necnon tenorem literarum dicti Gregorij predecesoris, perinde ac si
de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro expresis habentes, de venera
bilium fratrum nostrorum Sancte Romane Ecclesie Cardinalium, super sta
tu regularium deputatorum consilio, et nobis attribute potestatis plenitu
dine, motu proprio, et ex certa nostra sciencia, lites, et causas quascunque
iam motas, quam movendas, seu questionum, et controversiarum materias
omnes in quibuscunque instantijs coram quibuscunque iudicibus indecisas
pendentes, ad nos harum serie avocamus, et penitus extinguimus, et alijs
Mendicantibus, sive quibuscunque alijs regularibus, super his perpe
tuum silencium imponimus: ac volumus, et decernimus in predictis Reg
nis Aragonum, Valencie et Catalonie, et tota demum provincia A
ragonie, ordinis fratrum Predicatorum, et presertim in Civitate Orie
lem, et oppido Civitate nuncupato Albanto, et loco de Castelo de la Plana
huiusmodi eum ritum, et ordinem inter fratres Sancti Dominici predictos,
ac alios Mendicantes, sive alios regulares quoscunque cuiusuis ordinis,
vel religionis existentes servari debere, qui in hac urbe nostra omnium
capite servatur. videlicet, quod in omnibus actibus, et procesionibus, tam
publicis, quam privatis post Canonicos, et clericos seculares, et antiqu
os ordines Monachales si qui interfuerint, dicti fratres ordinis Predicato
rum primum digniorem, et honorabiliorem locum obtineant, ita ut dicti
fratres Sancti Dominici, immediate post modo dictos subsequantur, post

quos omnes alij Regulares, tam Mendicantes, quam non mendicantes cuiuscun
que ordinis, vel Religionis existant, in ledent, et subsequentur, etiamsi
ecclesie, capelle, conventus, domus, et loca regularia dictorum fratrum
Predicatorum in locis predictis, primo instituta, et fundata non fuerint,
prout nos id de facto observari volumus, et precipimus, districte in virtute
sancte obedientie, et sub excomunicationis maioris late sententie eo ipso per
contrafacientes incurrenda pena, omnibus, et singulis, quorumcunque alio
rum ordinum, pro tempore religiosis, sive regularibus, inhibentes ne de
cetero premissorum occasione ordinem fratrum Predicatorum huiusmodi,
illiusque fratres pro tempore existentes molestare, inquietare, perturbare,
aut quoquo modo impedire audeant, vel presumant: sique per quoscunque
judices, et commissarios, quavis authoritate fungentes, etiam causarum palatij
Apostolici auditores, et sancte Romane Ecclesie Cardinales sublata eis, et
eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et au
thoritate, ubique judicari, ac difiniri debere: nec non irritum, et inane, si secus
super his a quo quam quavis authoritate sciente, vel ignoranter contigerit
attentari; quocirca universis, et singulis Venerabilibus fratribus Patriar
chis, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, et
alijs personis quibuscunque in dignitate ecclesiastica constitutis. Per presentes
motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel eorum quilibet per se, vel alium
seu alios, ubi, et quando opus fuerit, et pro parte dictorum fratrum predi
catorum fuerint requisiti, et eficacis defensionis presidio assistentes faci
ent authoritate nostra premissa omnia observari, juxta presentium continen
tiam, et tenorem contradictores quoslibet, ac rebelles, et premissis non parentes,
per sententias, censuras, et penas eclesiasticas aliaque opportuna juris, et
facti remedia, appellatione post posita compescendo, invocato etiam ad hoc, si
opus fuerit, auxilij brachij secularis. Non obstantibus literis dicti Gregorij
predecesoris, alijsque premissis, nec non quibusvis constitucionibus, et ordinatio
nibus Apostolicis, ac conventuum domorum, locorum, et ordinum Mendican
tium sive aliorum, quorumcunque regularium huiusmodi iuramento, con
firmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis
et consuetudinibus, privilegijs quoque indultis, et literis Apostolicis
mendicantibus fratribus, sive alijs regularibus quibuscunque, et illo
rum superioribus, per quoscunque Romanos Pontifices predecessores nos
tros, etiam bulla aurea, Mare magnum, nuncupata contentis, ac motu simi
li consistorialiter, etiam per modum legis, et statuti perpetuum, etiam
iteratis vicibus, cum quibusvis derogatoriarum derogatorijs, alijsque
eficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et alijs decretis pro
tempore in contrarium forsam revocantibus, etiamsi in eis caveatur expre
se, quod nisi per trinas literas distintas, cum temporis intervallo compe
tenti eternis distinte vicibus illis, quos concernunt intimandos derogatum esset, aut
censeatur, concessis, aprovatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiam
si de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expresa, et individu
ua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quae
vis alia expresio habenda, foret, illorum tenores presentibus pro expressis

habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ac vice dumtaxat specialiter, et expresse latissime derogamus, contrarijs quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel divissim ab Apostolica sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excomunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam. Et expresam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, et dicta authoritate decernimus, quod presentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, et sigilli alicuius Personę in dignitate ecclesiastica constitutę munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quę presentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensę. Datum Romę Apud Sanctum Marcum, sub annullo piscatoris. Die xxv. Septembris. 1592. Pontificatus nostri anno primo

M. Vestrius Barbianus.

Diego Francisco de Sepulbeda notario Publico Appostolico, que corregi, y concerte este traslado, que esta cierto, y verdadero, bien, y fielmente sacado, y concierta con su original que me fue mostrado, y le selle con un sello de Armas del S.r D. Juan Maldonado Abad de Arbas, a quien doi fe, y conozco, el dicho sello ba impreso sobre ostia colorada, siendo testigos Diego de Cabrera, y Juan Muñoz vecinos de esta villa de Madrid, y fue mi signo. Fecha en Madrid en 29 de Septiembre de 1608 años. Y. en testimonio de verdad

Francisco de Sepulbeda

Fecho, sacado, corregido, y concertado fue este traslado de otro que esta en un quaderno de letra de molde, signado, y firmado como arriba se hace mencion, que para sacarlo exhibio el P.e fr. Alonso de Sandobal de la orden de Sto. Domingo, a quien le bolbi en Badajoz a 4 dias del mes de Junio de 1617 años. Y ba en este pliego sellado con el sello del S.r D.or D. Christobal de mesa, y Sandoval Maestre escuela, y Racionero en la Cathedral de esta ciudad

En testimonio de verdad =

P.o Sanchez Guerrero
Nott.o Appco